



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Heremitarum in Nariscis cœnobium Cisterciensis instituti amplissimum, ad
Wundrebum amnem situm, vulgò Waldsassen/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

HEREMITARUM in Nariscis coenobium Cisterciensis instituti amplissimum, ad Wundrebum amnem situm, vulgo *Waldsassen* / ab Eremitis, qui illic in densissimis nemoribus plantandæ Christianæ religionis ergo confederant, sic dictum, coepit anno Christi 1133. in ipsis Calendis Octobribus. Vera originis historia veteribus monumentis comprehensa, hæc est.

Wol-
mundstein
Castrum. Erat in Westphaliæ illa parte, quæ Coloniensi Archiepiscopo subest, ad Joram torrentem non procul à Dispergio oppido, castrum, *Wolmundstein* / in eo avitam habebant sedem Nobiles viri, quos tota circumjacens provincia ab hoc ipso castro appellabat Dominos de Wolmundstein. Horum unus, Gerwicus nomine, strenuus & generosus juvenis, dum (ut multis innotescat) circumquaque ad aulas maxime celebrium Principum obsequit, & virtute excellentium hominum amicitias & favorem expetit, multorumq; cum urbes tum mores videre desiderat, accidit, ut in Bavariam quoq; descendens Principem ibi tunc temporis famosissimum, Theobaldum, Marchionem Vohenburgensem & Nariscorum terræ Dominum, in castro Bavarico Vohenburg, ad Danubium medio ferè itinere inter Ingolstadium & Ratisbonam hodie sito, habitantem, ipsum quoq; juvenem strenuum & totum equestribus studiis deditum, ejus se notitiæ & amicitiae insinuans conveniret.

Marchio
de Vohen-
burg.

Morum
similitu-
do causa
amicitiæ.

Hunc cum Marchio vidisset suis moribus pulchre convenire, flagraretq; ipse quoq; (etsi uxoratus jam & prole auctus) variarum cum rerum, tum regionum videndarum desiderio non minori, quam Gerwicus, datis utrinq; symbolis fidei dextris, amicitiae indissolubilis ac sempiternæ inter se juvenes Theseum fedus ineunt ac paciscuntur, moxq; concordibus unâ animis ad omnium Principum aulas (in quibus equestres ludos seu Torneamenta nobilitatis Germanicæ exercendæ ergo institui aut exhiberi sciebant) sese conferunt, virtutisq; ibi ac fortitudinis suæ specimina edunt.

Accidit vero aliquando, ut in promiscua & subita quadam multorum simul adversis hastis cœuntium cataphractorum concursatione, ubi singuli in singulos casu oblatos totis viribus irruunt,

unt. Gervvicus etiam forte fortuna in Theſea ſuum, Principem
 Theobaldum incideret, haſtaq; ita illum feriret, ut effracta galea
 gutturi amiciffimi ſocii lethale pene vulnus infigeret: quod cum
 animadvertiſſet Gervvicus, graviffime perturbatus, in poſterum
 omnibus mundi pompis ac voluptatibus perpetuum apud ſe
 exilium indicere decrevit. Marchio vulneratus ad ſua jam etiam
 animum adjicere, & ut fit, quando in ærumnis conſtituti ſumus,
 ad relictam domi uxorem, relictos liberos, relictamq; ſui princi-
 patus univerſam gubernationem, quaſi præſentis Dei certa voce
 admonitus, cogitare cœpit. Adeo verum eſt Propheticum illud
 ex *Eſaia* notum: *Vexationem*, hoc eſt, ærumnas & calamitates,
 dare intellectionem, id eſt, præbere occaſionem redeundi per oſtium
 poenitentia in viam, unde digreſſus ſis. Cum itaq; amica diſces-
 ſione facta uterq; ad ſua rediſſet, Gervvicus rebus domi diſpoſi-
 tionis mundo valedicere volens, monaſterium Sigbergenſe, non
 procul à Colonia ſitum, ingreſſus, Benedictinum illic inſtitutum
 ſub Abbate profiteri cœpit. Marchio vero, quandoquidem pro-
 pter uxorem, liberos ac avitas provincias ſecularibus rebus ac ne-
 gociis abſtinere in univerſum aut religioni totum ſeſe dedere ne-
 quaquam poſſet, ut eam tamen auget pietatisq; ſtudia prove-
 heret, ac uſitatos Dei cultus latius propagaret, officium ſuum
 eſſe ratus, cœnobium novum de propriis bonis ac annuis pro-
 ventibus in ipſa ditione ſua ad annem Regum conſtruxit ac
 fundavit, quod accolarum vulgus Reichenbachium vocat, ali-
 quot milliaribus ſupra Ratiſbonam hodie adhuc ædificiis & re-
 ligatione conſpicuum.

*Amicus
amicum
inſcius
letaliter
vulnerat.*

*Vexatio
dat intel-
lectionem.*

*Sigber-
gum Cœ-
nobium.*

*Reichen-
bachium
Cœnobi-
um.*

Labentibus aliquot annis accidit, ut Gervvico propter ſin-
 gularis urbanitatis ac manſuetudinis laudem advenientium ho-
 ſpitem cura in cœnobia Sigbergenſi commendaretur: ad quem
 cum veniſſet aliquando Dominus Chuno, electus Eccleſiæ Ra-
 tiſbonenſis Epifcopus, dum è Pariſienſi gymnaſio ad ſedem ſuam
 Epifcopalem capeſſendam iter faceret, videns ipſe inſignem Ger-
 vvici virtutem, facilitatem morum, modeſtiam ac virtutum cæte-
 rarum omnium reginam ac illustratricem pietatem, ingenium
 item prudens ac boni conſilii ferax tantum precibus effecit cum

Hh 2

apud

*Chronologia
monaſterio
Sigbergenſi
S. M*

apud loci Abbatem, tum vero ipsum etiam Gerwicum, ut eum permissum sibi Abbatis favore ac venia Ratisbonam una secum abduceret Episcopus, ut quem omnium suarum fortunarum focium, & actionum inspectorem, perpetuumq; consiliarium habiturum sese sperabat.

Et si vero Gerwicus Chunonem Episcopum Ratisbonam non gravatim sequeretur, tamen cum animum ad religionis studium adjecisset totum, persuaderi, ut Ratisbonæ maneret in aula, nec à Chunone Episcopo nec alio quoquam potuit. Institit autem Domino Chunoni petitionibus & precibus tamdiu, donec ille datis etiam literis copiam ei faceret ingrediendi Eremiti, & quaerendi loci in diocesi Ratisbonensi pro monachorum congregatione idonei: quod cum studiose faceret Gerwicus, incidit casu in hanc Narischorum veterem provinciam, & in silvam densissimam, solisque tum venatoribus perviam, ejus nimirum loci, quem hodie adhuc accolæ *Kolergrun* appellant. Ibi dum succis aliquot arboribus, nondum salutato fundi Domino, domunculam & oratorium pro se ac additis sibi focis construere molitur, prodit interim venatum ex urbe sua Egrana Marchio Theobaldus, qui videns, partem silvæ succisam esse & domunculam in ipsis ferarum latebris erigi, furiosus accurrit, iratusq; quis ibi construere aut se insalutato erigere ædificiorum quidquam ausit, à laborantibus ac trepidantibus fratribus avide percontatur. Ibi Gerwicus præsentè animo ad Principem sibi adhuc ignotum progreditur, nomenq; & originem suam professus, mox quo consilio aut cujus jussu in eum locum secesserit, accurata oratione habita, & Episcopi Ratisbonensis literis redditis copiose edocet: quem cum Princeps audiret, Gerwicum illum esse, nobilem virum de Wolmundstein, veteri necessitudine sibi conjunctum, gaudio plenus equo desiliit, ac Gerwicum amanter complexus vulneris ab eo olim sibi inficti cicatricem ostendit, bonoq; animo esse jubet, & consilium ejus de construenda domo Dei approbans statim renovandæ veteris amicitiae studio ad cœnobii exædificationem tantum silvæ liberaliter donat, quantum Gerwicus posset integri diei spacio circumire. Idcirco socii Ger-

Kolergrun.

Egra.

vici illico sese hilares futuro operi accingunt, silvas extirpant, faxa undiquaq; convehunt, ligna aptari curant, dumq; silvæ vicina loca omnia studiose inspiciunt, amoenissimū ac maxime pisculentum fluviolum Wundrebum inveniunt, ad cujus ripam unanimi consensu inchoata ædificiola transferunt, ac totum cœnobium contruunt, & quia Eremitæ ac solitudinis studiosi illis confidissent, ab hoc ipso quasi fatali suo confesso nomen novo monasterio imposuerunt, ut Germanica lingua **Waldsassen**/quasi Eremitum & nemora amantium, aut (quod Germanismum melius exprimit) ad nemora sedentium locus diceretur.

Erat ea tempestate adhuc in vivis Divus Bernardus, Cisterciensis instituti primus author, qui tum præpotenti Burgundionum terræ monasterio Claræ vallis Abbas imperabat. Hunc Gervicus prope accedens, monachos petit ad novum suum cœnobium instruendum excolendumq;, quos cum nec Divus Bernardus, nec alii Abbates in tota ea peregrinatione rogati dare potuissent, ad Wolckenrodensem Abbatiam impigre contendit, ubi cum tres suæ professionis monachos consecutus esset, mox Waldassum rediit, ac inchoatas habitationes feliciter absolvit, accedentibus undiquaq; piorum hominum donationibus ac elemosynis liberalissimis. Elegit autem Wigandum quendam in cœnobitarum collectorum Priorem, qui coelesti oraculo per quietem oblaro admonitus, D. Virgini matri ac B. Joanni Evangelistæ locum hunc sacrandum ac dedicandum censuit, tanquam centesimam ovem, quod locus iste centesimus esset in tota Christianitate Cisterciensi recens inchoato ordini nuncupatus. Dumque Waldassense cœnobium ita feliciter surgit, accedit ad novum hoc Nariscorum terræ ornamentum alia insuper felicitas ne utiquam hic prætermittenda aut silentio prætereunda.

Hæc illa erat: Habebat Princeps Theobaldus ex prima uxore sua Domina Adelhaide, Poloniæ Ducissa, filiam Adelheidin, insigni forma ac singulari virtute prudentiaq; præstantem puellam, quam cum potentissimus Imperator Fridericus Barbarossa matrimonii legibus sibi conjungi petiisset, nuptiæ anno Christi 1179. regio apparatu in urbe Egrana præsentibus multis Germaniæ

Hh 3

Clara Vallis.

Volckenrode Cœnobium.

Fridericus Barbarossa, duxa Vo-

Chronologia
monasterio
Germania
S.M

hebur- nis cum ecclesiasticis tum secularibus Principibus celebratæ &
gensis peractæ sunt. Dos Regiæ puellæ erat civitas Egrana cum adja-
Marchio cente ditione omni, recensq; constructa ac nuper adeo quatuor
nis filia, præclaris pagis à Marchione Theobaldo donata Abbazia. Per-
nuptias actis nuptiis, prodiit Imperator cum magno Principum ac Epi-
celebrat scoporum comitatu in novam Abbatiam, quam se præsentè à
in Egra Chunone II. Episcopo Ratisbonensi consecrari fecit. Ab eo
Civitate. tempore ad hæc nostra usq; cœnobium prædictum semper Im-
 peratoriæ ditionis fuit. Tutores vero habet Principes Palatinos
 Rheni ab anno 1411. Sunt in ejus templo principaliore præcla-

Landgra- ra Maufolea provincialium Comitum de Leuchtenberg, Geb-
vii Leuch- hardi videlicet ac Friderici cujusdam, qui patre etiam Friderico &
tenbur- matre Elisabeta, Comitissa de Ortenberg, natus, Abbas Lanckei-
genses. mensis ac Eboracensis cœnobiorum, tandem Aistetenfis etiam
 Ecclesiæ Episcopus factus, ex hac mortali vita anno 1346. ad sa-
 lutas æternæ patriam emigravit. Est in sinistra chori parte tumu-
 lus Friderici ac Gebhardi, Comitum de Sultzbach, & propè ædi-
 culam corporis Dominici egregium monumentum Joannis, E-
 piscopi Ebronensis, in Waldsassen olim cœnobio professi,
 qui mortuus esse legitur anno 1404. secunda Kalendarum Majj.
 Sunt in eodem templo sepulturæ etiam nobilium regulorum de
 Wirsberg, Sparrenhecke, Schirnting, Nothastorum, item de
 Weissenitein & quorundam aliorum cum in Nariscorum, tum
 Prætoriana terra habitantium. Catalogus hujus loci Abbatum
 talis à me ex variis cœnobii monumentis & annotationibus mo-
 nasticis non sine multo, sed tamen ob vicinæ patriæ amorem
 longe suavissimo labore congestus est.

Abbatum
Catalo-
gus.

1. *Henricus* primus Abbas eligitur anno 1134. Sedit ad cla-
 vum per unius saltem anni spacium.
2. *Ulricus* successit Henrico & præfuit per annum similiter
 unum tantum.
3. *A Deo datus*, tertius Abbas Eremitarum domus confi-
 titur, & præsidet itidem per unum duntaxat annum.
4. *Gerlacus* eligitur Abbas quartus anno 1138. quod privi-
 legia accepisse legitur Moguntia à Rege Conrado Suevo primo
 anno

anno regni ejus. Testes introducuntur Ruffinus Episcopus, Cardinalis Apostolicæ sedis legatus, Adelbertus Archiepiscopus Moguntinensis, Adalbero Treverensis, Embrico Episcopus Herbipolensis, Bucco Wormaciensis, Wernherus Monasteriensis, Gebhardus Comes de Sultzbach, & alii plures celebri loco nati proceres. Eidem Gerlaco dedit etiam privilegia anno 1147. idem Conradus, Imp. effectus. Præfuit iste laudabiliter 25. annis, quibus monasterium suum primus ab exactiōibus & advocatiis liberavit. Sub ejus gubernatione Zedlicense cœnobium in Bohemia octo milliaribus à Praga, regni metropoli, Moraviam versus situm, fundatum est, monachis aliquibus ex Waldassio ad novam terram excolendam evocatis. Sub hoc Abbate Thursonis novales, vulgo Thurfsenreuttum, hodie egregium oppidum ac propter adjacentes amplissimos lacus natura loci munissimum, tum vero pagus tantum Sigefridi Episcopi Spirensis ac Godefridi, fratrum ac Comitum de Leiningen erat, qui dederunt Abbatiæ Waldassensi pagum Hosteich, antiquitus Niderreichum dictum. Postea Thurfsenreuttum in manus Dominorum de Hartenberg, & tandem Rabothonis ac Henrici, Comitum de Ortenberg, pervenit, à quibus permutationis jure accessit monasterio.

5. Daniel constituitur Abbas anno 1163. Præfuit & profuit cœnobio suo annis 33. Legitur conscripsisse Papiam, sed quale id opus sit, ego hætenus ignoro. Fuit Friderico Barbarossæ laudatissimo Imperatori familiarissimus, quem in Siciliam, Apuliam & Longobardiam iter facientem secutus plurima ab eo impetravit, secumq; aliquot auri marcas cum plurimis clinodiis ac reliquiis domum attulit. Construxit ambitum templi ac hospitium advenientium domum nunc plane vastatam. Accepit privilegia à Pont. Max. Alexandro III. & anno 1184. egregium diploma à Lucio III. P. M. Veronæ datum, per manus Alberti Cardinalis. Consecutus est insigne privilegium Herbipoli etiam ab Imp. Henrico VI. in Februario anni 1194. In eo testes nominantur Conradus, Archiepiscopus Moguntinensis, Adolphus Coloniensis electus, Henricus Dux Bohemiæ, Otho Episcopus Baben-

Zedlic-
um Cœ-
nobium.

Thurfsen-
reutt op-
pidum.

Papias
liber.

Babenbergensis, Hermannus Monasteriensis, Eberhardus Merfenburgensis, Bertramus Metensis, Henricus Herbipolensis, Theodericus Misnensis, Conradus Ratisbonensis, Rudolphus Verdensis, Wulffgerus Pataviensis, Conradus Palatinus Rheni, Leopoldus Austrius, Bertholdus Dux Meroniæ &c.

Woffe-
ckum Cœ-
nobium.

6. *Erckenbertus* successit Danieli anno 1196. Præfuit 18. annis gloriose. Consecutus est privilegiorum suorum confirmationem in civitate Egrana à Rege Rom. Philippo. 9. Kal. Martii indictione sexta. Sub ejus gubernatione absolutum est cœnobium Woffecense juxta Litomeritzium in Bohemia situm, quod prius sub Daniele Abbate construi cœptum erat. Ejus loci primos monachos dedit Abbas iste è Waldsassensi suo monasterio. Donatus est idem Abbas à Bertholdo Marchione in Voburg decimis quibusdam anno 1202. Testes sunt Rembodo & Thiemo, Marchiones de Voburg.

7. *Hermannus* eligitur anno 1214. Laudabiliter præfuit & plurimum profuit cœnobio suo annis 8. Legitur fuisse vir magnæ devotionis & (adscribam enim verba, quæ de ipso repetuntur scripta) plurimæ cum sanctis Dei Angelis conversationis, de quibus tractatum composuisse scribitur, qui propter crebras cœnobii vastationes ad nostram notitiam non pervenit. Accepit privilegium anno 1214. ab Imp. Friderico II. in Egrana civitate datum, per manum Conradi Metensis & Spirensis Episcopi & Imperialis aulæ supremi cancellari, in quo testes allegantur Albertus Archiepiscopus Magdenburgensis, Otho Episcopus Herbipolensis, Engelhardus Naumburgensis, Conradus quondam Halberstatensis, Hermanus Landgravius Thuringiæ, Theodericus Misnensis & Orientalis Marchio, Otho Dux de Meran, Adolphus Comes de Schaumburg, Albertus Comes de Eberstein, Henricus Comes de Schwartzburg, Fridericus Comes de Bichelingen, Burchardus Comes de Mansfeldt, Ernestus Comes de Vilseck, & quidam ministerialis de Egra. Accepit eodem anno ab eodem etiam Imperatore aliud privilegium Egræ datum 12. Kalend. Decembr. in quo testes citantur Otho dux de Meran, Gebhardus Dux Landgravius Leuchtenburgensis. Tertium privilegium

legium ab eodem Cæsare consecutus est in eadem urbe datum año Domini 1219. decima quarta Kalend. Decembr. Fecit primus piscinas & insignes lacus Thurserreutenses. Pagum enim eum pro prædio Seewarn permutatum anno 1217. à Rabadone, Comite Palatino, ipsiusq; fratre Henrico, Comitibus de Ortenberge, plene consequutus est Imperante Friderico II. Moritur anno Domini 1222. ipso die Angelorum, non domi, sed in Cistercio, ^{Cistercium.} Burgundionum terræ potentissimo monasterio, ubi in ambitu Ecclesiæ ante aram S. Trinitatis honorifica sepultura donatus est.

8. *Eberhardus* successit *Hermanno*. Præfuit 27. annis utilissime monasterio *Waldsaffensi*, quod variis structuris & ædificiis plurimum auxit & ampliavit. Huic privilegium dedit Imperator *Fridericus II.* Capuæ in Italia anno Domini 1223. mense Februario. *Henricus* vero *Friderici* Imperatoris filius aliud dedit *Herbipoli* in Martio anni 1227. in quo testes nominantur *Eberhardus* Archiepiscopus *Salisburgensis*, *Hermannus* Episcopus *Herbipolensis*, *Henricus* *Aistetenensis*, *Ludovicus* *Bavarus*, *Leopoldus* *Auftrius*, *Ludovicus* *Charintia Dux*, *Hermannus* Magister domus *Teutonicorum Hierosolymitanus*, *Conradus* *Burggravius Noribergensis*, *Fridericus* de *Truhendingen*, *Gerlacus* de *Butingen*, *Eberardus* *Dapifer de Walburg*, *Conradus* & *Eberhardus* *pincernæ de Wiltersteten* &c. Eidem *Eberhardo* Abbati privilegium dedit Rex idem *Henricus*, *Friderici II.* filius, in *Novembri* anni *Christianorum* 1223. in civitate *Egrana*, in quo testes enunciantur *Conradus* Episcopus *Spirensis*, *Eckenbertus* *Bambergensis*, *Hermannus* *Marchio Badensis*, *Theobaldus* *Marchio de Hohenburg*, *Gebhardus* *Landgravius de Leuthenburg*, & frater hujus *Theobaldus*, *Conradus* *Dapifer de Waldburg*, *Dietho* de *Ravenspurg*, *Albertus* de *Vonsidele*, *Henricus* de *Kinsberg*, *Arnoldus* & *Rudigerus* de *Sparrenhecke*, & alii plurimi. Et iterum consecutus est Abbas iste privilegium ab eodem Rege *Henrico*, in patrem seditioso, in *Egrana* civitate datum anno 1232. mense *Julio*: Et iterum aliud in eadem urbe anno 1234. mense *Julio*, in quo testis est *Eggenbertus* *Bambergensis* Episcopus. Abbas iste *Eberhardus* senio confectus & gubernat-

bernationis pertæsus resignavit Abbatiam anno 1249. Paulo post evocatus est ex hac vita, & in domo capitulari sepultura donatus se digna.

9. *Joannes*, à resignante Eberhardo Abbatiae clavum cum consensu totius conventus accipiens, præfuit 21. annis utilissime, Regibus & Principibus charus & acceptus. Resignavit gubernationem propter afflictam valetudinem anno 1290. Huic Abbati dederunt anno 1263. Fridericus & Gebhardus fratres, Landgravi de Leuckenbourg vel Leuthenburg, castellum VValtershofense cum pagis VVolfamsreut & Maierhofe, quæ bona omnia emerat Abbas à patre eorum principe Friderico ejusq; conjugè Domina Isentrude.

*Camp.
Cœno.*

10. *Gisilbertus*, ex VVoffecensi Abbatia defunctus, VValdfassensi præficitur eodem año, quo Egrana civitas calamitosissimo incendio tota penè deleta est, videlicet 1270. Præfuit tribus annis, & aliquot etiam aliis Campinensi cœnobio; tandem senio confectus utriusq; magistratu ultro sese abdicavit.

11. *Lambertus* successit Gisilberto, electus anno 1273. Præfuit utiliter tribus annis & sex mensibus. Fuit vir probus & simplex. Decessit anno Domini 1277.

12. *Joannes II.* eligitur anno Christi 1277. Præfuit pio corde & fideliter annis 12. Valedixit huic vitæ anno redempti orbis 1288. Accepit privilegium à Rudolpho Imperatore Viennæ anno Domini 1280. & aliud VVimpinæ anno 1287.

*Radans-
furt.*

*Aula Re-
gia Cœ-
nobium.*

13. *Theodericus*, decimus tertius VValdfassensium Abbas, ex VVoffecensi Bohemiæ cœnobio excitus, constituitur anno Christi 1288. Præfuit sapienter & utilissime annis 18. Fuit præcipuus consiliarius & compater Regis Bohemiæ, VVenceslai II. ejus videlicet, qui filius erat Otrocari Regis, ab Imperatore Rodolpho Habsburgio apud Nidersbruggum cæsi, & ejusdem Rodolphi gener. Ab hoc Rege compatre suo donatus est anno Domini 1294. ecclesia in Radansfurt dioceseos Pragensis cum omnibus juribus ac pertinentiis, ad dictam ecclesiam spectantibus quæ donatio à D. Tobia Pragensi Episcopo confirmata est anno Domini 1295. Idem Abbas crebris hortationibus auctor fuit Regi VVenceslao, ut Aulæ Regiæ monasterium Cisterciensis ordi-

ordinis amplissimum construeret supra Pragam ad sinistram Mol-
tari ripam, in quod ipse monachos è Waldsaffensi sua Abbazia
misit, qui illic religionis studia profiteri inceperunt anno Domi-
ni 1305. Accepit privilegium à Rodolpho Imperatore Erfordiae
anno Domini 1290. Erat strenuus in acquirendis novis posses-
sionibus & dilatandis Abbatiae suae terminis: emit enim Falcken-
bergum arcem, ac marcam ad Nabum Turfenreuttanum piscosum
annem sitam: arcesque Neohusum & Schwartzenschwal
pro 300. marcis puri argenti anno Domini 1294. ab Ullrico, Land-
gravio Leuckenbergenfi. Liebensteinium item arcem ac pagum
non procul à Thurfenreutto oppido situm anno Domini 1298.
à Theodorico de Parsperg, iudice in Waldegk. Sub ejusdem
gubernatione legavit coenobio Waldsaffensi Domina Isentrudis,
Friderici Landgravii Leuthenbergenfis relicta vidua, 40. marcas
argenti anno Domini 1289. Tandem tædio curarum & guber-
nationis molestiarum resignavit Abbatiam, retenta tamen hone-
sta pensione annua. Mortuus in coemiterium positus est, at à suc-
cessore Othone postea in domum capitularem ad antecessores
translatus.

Falcken-
burg.
Neuhus.
Schwar-
zenschwal-
Liebenstein.

14. *Otho* ex Priore Abbas factus esse legitur anno 1306. Fuit
vir doctus, scripsit latine antecessorum suorum breves Annales.
Præfuit duobus annis laudabiliter, & viam universæ carnis am-
bulavit anno gratiæ 1308.

15. *Heidenricus*, vir justus & pius, ex Zedlicensi monasterio
Bohemico, in quo jam antea Canonicè in Abbatem electus diu
feliciter præfuerat, ad gubernationem Waldsaffensis etiam Ab-
batiae evocatur anno 1308. Præfuit duobus mensibus, & quia
imprimis charus esset tum populo, tum coenobitis suis Zedlicen-
sibus, quibus prudenti gubernatione sua jam tum etiam pluri-
mum profuerat, rogatus, ut apud eos maneret nec alibi domici-
lium eligeret, missis ad Abbatem Volccenrodensem, visitato-
rem primarium VValdsaffensem, duobus Abbatibus VVosse-
centibus, Theoderico, qui nuper ibi resignarat, & Gervvico, tum
ad clavum coenobii sedente, oblatam Abbatiam VValdsaffensem
cum multa gratitudinis significatione reddidit, ejusq; magistratu

Li 2 in

Chronologia
monasterio
S. M

in universum sese abdicavit, moxq; Zedlitium rediit, ubi 42. annis summa cum laude & gloria præfuisse legitur. VValdassum postea VVallerbacensi Abbati gubernandum committitur, sed & ille sua forte contentus VVallerbachi manere, quam VValdassum migrare maluit. Alius idcirco Abbas & gubernator quæ-

Wallerbach. Abbas sine cella vinariae præfectus.

fitus est, videlicet

16. *Ulricus*, ex Converforum in Aula Regia Magistro unanimi VValdassensium monachorum consensu assumptus, qui præfuit annis pene sex, & anno Domini 1313. resignans, ad aulam Regiam in Bohemiam rediit, ubi cellæ vinariæ præfectus, reliquum vitæ in quiete potius, quam istuc in laboriosa tanti cœnobii gubernatione absolvere maluit. Accepit privilegium ab Imperatore Alberto Austriaco, datum anno Domini 1306. in castris Mittelweide, quo datur Thurfsenreuttanæ villæ hebdomadale forum, Martis die celebrandum, & anno Domini 1308. dedit idem Imperator Albertus eidem Ulrico Abbati jus patronatus parochialis Ecclesiæ in Rasche Aistetensis diœceseos. Hic Abbas Redowitzium etiam præclaram marcam hodie S. P. Q. Egrani, sed tunc temporis pagum saltem, & Seussenam prædium olim, nunc pagum, anno Domini 1310. acquisivit ab Harwardo ac Tutone patre & filio, nobilibus viris de Schonbrunne & Heertenberg, qui eadem loca ab Imperatore quodam, cui milites aliquandiu serviverant, pro 70. librarum denariorum debito acceperant: quæ ipsa loca postea idem Abbas monasterio in perpetuum possidenda ab Imperatore confirmari fecit.

Redwitz

Ellbogen.

17. *Joannes de Cubito*, vulgo Ellenbogen, oppido Boemico ad Egram fluvium sito, ex Priore VValdassensi ejusdem loci Abbas constituitur anno Domini 1313. vir Deo & hominibus dilectus. In conspectu enim Regum ac Principum autoritate summa erat præditus, quod esset prudentia & consiliis maximus, erga omnium ordinum homines placidus ac mitis, in observatione vero instituti Cisterciensis & regulæ suæ cum zelo quodam strenuus & vigil, in prædicatione verbi Dei gratus, in operibus virtuosus. Is utilissime & summa cum prudentia præfuit annis 12. Habuit omnino clementem & propitium Imperatorem, Hen-

Hen-

Henricum VII. Lutzelburgensem Ducem, cujus epistola ad hunc Abbatem è Roma scripta talis extat, quam huic catalogo inserui, quod coronationem Henrici VII. Romæ à Cardinalibus factam, Clemente V. Rom. Pontifice interim apud Avenionem in Galliis degente, pulchre describat, simulq; animi omnino clementis erga hunc Abbatem minime fallax testimonium perhibeat.

Henricus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, Venerabili Abbati VValdsassensi Cistertiensis ordinis, devoto suo ac dilecto, gratiam suam & omne bonum. Magnus Dominus & laudabilis valde, in excelso Divinitatis suæ folio residens, imperium suum (quod pro meritis ejus inter nationes diversas quasi cum gentibus à suo creatore degenerantibus vacillabat) transire voluit ad Romanos, ut illuc præiret Imperialis excellentiæ thronus, ubi erat sacerdotalis sedes & Apostolica affutura: ita quod in eodem loco summi Pontificis & Imperatoris autoritas reniteret. Novissimis quippe temporibus illo translato in Germanos, postq; plures principes ad ipsum vocatos imperium, quorum quidam ipsius imperii assumere diadema, quidam non: divina cooperante clementia, per eos, ad quos spectat, in Romanorum Regem, futurum Imperatorem rite & concorditer electi proposuimus ad urbem pro coronationis nostræ suscipiendis solenniis proficisci. Ac sanctissimum in Christo patrem, Dominum Clementem summum Pontificem requisivimus, ut ad urbem accedens præfata solennia nobis ibidem tradere dignaretur. Qui cum ex certis causis juxta nostrum immensum desiderium interesse nequiret, ne dicta coronatio ob sui absentiam impediri valeret, venerabilibus patribus, Dominis Arnaldo S. Sedis Apostolicæ Legato, Leonardo Albanensi, & Nicolao Hoffensi, ac Velletrensi Episcopis, ac Francisco S. Luciae, nec non Luca S. Mariæ, in via lata Diaconis Cardinalibus commisit in hac parte plenarie vices suas, cum clausula, ut si non omnes his exequendis interesse valerent, quatuor, tres, duo, vel unus eorum dictæ coronationis nostræ negotium expediret. Verum dictis Leonharo & Francisco de hac luce substractis, per dictos Dominos Cardinales superstites, die festo B. Petri & Pauli Aposto-

lorum (quem ad hoc, ut poteramus, virtute dictæ commissionis elegimus) in ecclesia S. Joannis Lateranensis, præsentè Archiepiscoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum, ac Ecclesiasticorum ordinum urbis, Ducumq; Comitum, Baronum, Nobilium Romani populi innumerosa caterva oleo sacro uncti fuimus nec non imperiali diademate coronati, ac aliis debitis ac consuetis solenniis insigniti. Hæc autem devotioni tuæ volumus intimare, ut de nostris felicibus successibus valeas exultare. Datum Romæ quarto Kalendarum Julii, regni nostri anno quarto, imperii vero anno primo.

Idem ille Abbas causam cœnobii sui egit coram Ludovico, Romanorum Rege, adversus Burgravium Noribergensem, monasterii VValdsaffensis admodum inclementem vastatorem, & tantum apud eundem Regem (qui aliquoties in cœnobio VValdsaffensi fuit) effecit, ut pro illatis sibi à Burgravio damnis jus patronatus Ecclesiarum in Perngavv Aistetensis diœceseos & Horburg Augustanæ diœceseos consequeretur, & idem jus in Floss, Pernavv, Greisbach, & Hohentann per vim abalienatum recuperaret, quod & publicis diplomatibus Regum confirmari fecit. Huic ipsi Abbati dedit anno Domini 1319. Ludovicus Imp. liberam potestatem ex villa Schombach civitatem faciendi & aliud privilegium, in quo tradit villæ Schombach forum hebdomadale, & omnia jura omnesq; libertates civiles, quibus Egrencensis urbs gaudet & gaudere hætenus consuevit. Emit castrum Hardeck cum toto adjacentè territorio pro 270. sexagenis grossorum Pragensium ab Ulrico Landgravio à Leuckenburg, compatre suo, anno Domini 1316. Resignavit Abbatiam anno 1325. & retenta annua pensione in arce Hardeck sedem suam habuit: tandem valetudinarius in monasterium profectus, prope facellum S. Jacobi antefontanum, domunculam pro suo modo decentè ornatam inhabitavit, in qua mortuus, inde ad Capitularem locum delatus, ac prope alios Abbates antecessores suos humo honorifice mandatus, primæque omnium mortalium parenti reditus est sub Abbate successore.

18. *Joannes Gribelius*, patria Thuringus, puer adhuc à præceden-

Schombach.

Hardek.

cedentibus Abbatibus, quod ingeniosus & bene compositis esset moribus, amatus, & à Joanne Cubitone Lutetiam propter miram ingenii dexteritatem & corporis agilitatem studiorum ergò missus, cum inde redisset, mox Woffecensi Abbatiae, propè Litomeritum in Bohemia sitae, Abbas praefectus est, ubi cum aliquandiu feliciter praefuisset, tandem à resignante Abbate Joanne Cubitone ita cœnobitis VValdassensibus commendatus est, ut unanimibus omnium Capitularium suffragiis eidem Joanni in VValdassensis Abbatiae gubernatione subrogaretur, quod factum est anno Domini 1325. Invenit monasterium opulentissimum, idcirco multis praeclearis aedificiis id illustravit, majoremque ejus partem muro inclusit ac praecclare munivit. Hypocauftum hibernum cum alta turri in domo Abbatis, plurimasq; cœnobio suo utiles officinas fecit. Thurserentum oppidum, inter lacus situm, à Thurfone olim quodam cum vetusto S. Petri facello construi coeptum, mœnibus etiam ac vallo cinxit & inferiore turri munivit: castrumq; ibidem primus de novo exaedificavit. Erat imprimis charus Dominae Elisabethae, Bohemorum Reginae, Caroli IV. Imperatoris matri, quae in ejus favorem ac gratiam monasterio multos insignes ornatus, sui nominis primordiali litera, E, insignitos dono dedit: in extremis etiam agens & jam jam animam Deo redditura, eidem Abbati aurea quaedam clinodia legavit, sed quae Carolus tum adhuc Moraviae Marchio detinuit. Erat Abbas prodigus, idcirco sub ejus gubernatione inclinari coepere res & opes monasterii alioqui ditissimi. Cumque 14. annis praefuisset & adversa valetudine laborare jam inciperet, reddita Abbatiae administratione his, à quibus eandem prius acceperat, sibi domum supra coquinam adornans & reaedificans, mediocri pensione, censuum videlicet Neoforensis Ecclesiae contentus, ibi reliquum vitae, manibus pedibusq; contractis, privatus traduxit. Mortuus tandem in capitulari domo decenter humatus est.

19. *Franciscus Kribel*, Egranus, cum in Parisiensi gymnasio aliquamdiu bonis literis ac Theologiae studiis operam dedisset, inde ad VValdassense cœnobium profectus, monasticen profi-

*Thurserentum
muro cin-
gitur.*

teri cœpit : cumque doctrina & prudentia cæteris antea, dignitate Prioratus mox donatus & ornatus, tandem etiam resignante Abbati Gribelio, anno Domini 1339. eidem ab unanimiter consentientibus cœnobitis omnibus suffectus est. Præfuit vero undecim annis splendide quidem (erat enim liberalis & multi apparatus studiosissimus) sed non æque utiliter. Regibus siquidem Bohemorum Joanni & Carolo, Ducibus Luzemburgensibus, aliisque vicinis Principibus, à crebris legationibus, quod esset eloquens & facundus, sæpe Romam aliasque exteras ac procul distitas urbes adiit, aliena negotia diligentius quam sua expediens. Hinc factum est, ut crebris peregrinationibus ac variis illis ad exteras gentes susceptis itineribus plurima absumferet, & idcirco etiam multa vendere coactus fuerit. Vendidit autem castrum Rudolffstein, & Albæ Ecclesiæ marcam (hodie VVeissenstatense oppidum) cum omni adjacente territorio: Schonenbachwaldum item, cum triginta villis, Chodavv cum pertinentiis omnibus, Bernavv cum villis & dominio omni, jus patronatus Ecclesiarum, decimas, calices, ornatus, imo & pastoralem baculum. Habebat vero cognatos in civitate Egrana; hi quicquid poterant, ad se etiam rapiabant, monachosque misere insuper tractabant, ita ut res non solum aliquoties ad verbera & sanguinem, sed eo etiam deveniret, quod monachi in unum omnes confederati (absente Abbate) relicto monasterio, & corrasis de tam negligenti gubernatione venditisque reliquiis, discederent, novumque inter se Abbatem, Nicolaum Heckhelium, eligerent. Quæ fama cum increbuisse, venit tandem quidam Dominus Morimundus, habens plenariam auctoritatem sibi à generali capitulo concessam: is cœnobiū reformans, Nicolao Abbate prorsus amoto, Franciscum etiam ob negligentiam exauthoravit, cui tamen exigua adhuc pensio annua data est, qua contentus, in multa patientia, 20. adhuc annis supervixit, sacris fideliter serviens & monasterium consilio fideliter adjuvans. Postremo apoplexia tactus vocem amisit, & quinto die post acceptum hoc malum naturæ debitum solvit. Ut tamen aliquam bonam etiam sui relinqueret memoriam, instauravit initio ferè guber-

Rudolff-
stein,
Weissen-
stadt.

gubernationis suæ arcem Thurfsenreutensem incendio collapsam : Liebensteinium exteriore muro cinxit, & Brafiatorium, *Liebenstein.* hoc est, lapideam domum, cum Cisterciensi sacello, intra urbis Egranæ mœnia pulchre construxit. Obiit anno 1370. Sub ejus gubernatione admodum infesti fuerunt cœnobio huic Bohemici reguli de Guttenstein, insignes prædones, qui pagum & Ecclesiam Linnberg spoliarunt & campanas etiam inde secum aufererunt. *Linnberg.*

20. *Henricus Rullius*, vir facundus & humanus, ex Zedlicensi monasterio accitus, constituitur Abbas Waldsaffensis à Domino Morimundo anno Domini 1350. Præfuit Abbatiae (quam in summa paupertate invenerat) annis octo fideliter & prudenter, satis item feliciter. Sub eo enim cœnobium sese aliquomodo erigere vicissim incipiebat. Arcem Falckenbergensem & alia quædam adjacenta loca oppignorans, pecunias contrahebat, quibus debitores pacaret & quasi porrecta offa sopiret. Tandem pertæsus gubernationis, curarum & molestiarum feracissimæ, Abbatiam aliquatenus restauratam conventui libere reddidit, seque iterum in Zedlicensis cœnobii pristinam habitationem recipiens, reliquum ibi vitæ privatus peregit & absolvit feliciter.

21. *Nicolaus Steinkeller*, Egranus, in Waldsaffensi cœnobio à pueris ferè alitus, postea ad Zedlitium in Bohemiam missus, forte linguæ addiscendæ ergo [omnes enim ferè Waldsaffenses monachi antiquitus trilingues erant, latinam videlicet, Bohemicam & Germanicam callentes] revocatus est ab Henrico Abbate ad VValdsaffum, & unanimi consensu, cum resignantis Abbatis, tum capitularium fratrum Abbas designatus anno Domini 1358. Præfuit annis tantum tribus. Erat vir prudens, œconomus circumspectus longeq; fidelissimus. Is venditis initio statim gubernationis suæ Pendorffo ac Falckenburgo cum adjacente territorio, castrum Hardeck redemit, ut quod diutissime tenuissent antecessores sui & quod monasterio maxime videretur utile. Pistrinum sua ætate combustum reedificavit & fortissimo muro munivit. Anno tandem 1361. valetudinarius effectus, obiit in die Matthæi Apostoli. Corpus ejus in domum

Monachi Waldsaffenses trilingues.

Kk

capitu-

capitularem delatum, ac ibi honorifice depositum terræq; parenti redditum est.

22. *Nicolaus II.* successit primo, ex Tachavio Bohemica civitate natus, vir prudentissimus & gubernator adeo felix, ut videretur restituere posse plane in integrum collapsas penè monasterii res ac fortunas, si diutius in hac mortali vita supereffe datum ei fuisset. Præfuit annis tantum duobus, & anno Domini 1363. in gravi quodam negotio Pragam contendens, cum in insperatum morbum subito incidisset, ex hac calamitosa vita ad aliam ibi evocatus, & inde ad monasterium suum relatus honorificeq; in capitulari loco sepultus est.

23. *Joannes*, de nobili progenie Wirsbergensium natus, eligitur anno Domini 1363. Præfuit prudenter & utiliter annis novem, mediocriter satisfaciens omnibus creditoribus & multa redimens ab aliis partim vendita, partim impignorata. Valedixit huic seculo ætatis suæ 70. anno, Domini vero anno 1372. in festo S. Martini. Sepelitur in capitulo. Habuit sub sua gubernatione monachum quendam egregie doctum, fratrem *Marquardum*, de Waldaffen, qui ad Othonem Herbipolensem Episcopum tract. 30. sermonum scripsit: & alium librum de doctrina Evangelica; tertium vero de vita contemplativa ad Eberhardum de Mosbach, Canonicum & plebanum majoris Ecclesie Herbipolensis. Is liber ab authore absolutus est anno 1360.

*Marquardus Scrip-
tor.*

24. *Conradus* Abbas successit Joanni. Præfuit annis 22. Obiit anno Domini 1394.

25. *Joannes Goldius* sequutus est in gubernatione Waldassensis Abbatie Conradum. Præfuit mensibus 15. & obiit anno 1395.

26. *Conradus II.* eligitur per controversiam, aliqua monachorum parte Joanni cuidam suffragante. Sed Conradus, absente Imperatore, Heidelbergam petens, Palatinum Joannem Electorem, Christophori Danorum Regis patrem, ut Imperatorie Majestatis locum tenentem, accessit, ibiq; ex Abbatia sese ejectum conquestus est, qui tamen in electione habuisset plura & potiora etiam vota. Respondet Palatinus, accepturum se eum

in

in suam tuitionem ea tamen lege ac conditione, ut esset ista coenobii Waldsassensis tuitio apud Palatinos hereditaria & perpetua. Cui petitioni cum à potiore monachorum parte assensum esset, pervenit coenobium hoc in Palatinorum tuitionem, quod Bohemico oppignoratam. Præfuit annis 24. Interfuit is Concilio Constantiensi. Obiit anno Domini 1419.

27. *Nicolaus Eppenreutterus*, ex celebri Palatinatus oppido Saliceto natus, vir nobilis genere & virtute, consecutus est clavum monasticæ gubernationis in Waldsassio año Domini 1419. *Salicetum Weiden.* Accepit antea etiam Conradi coadjutor privilegium à Sigismundo Imperatore Constantiæ datum anno Domini 1417. in quo suscipitur coenobium cum omnibus bonis ac juribus in tuitionem ac salvam guardiam Imperialem : privilegium item Constantiæ à Martino Pontifice datum 8. Id. Aprilis primo anno pontificatus. Præfuit 14. annis laudabiliter, quibus monasterium strenue reformavit ac plurimum auxit. Sed felicitas hæc non admodum diuturna fuit. Cum enim ea ætate tumultuarentur seditiosi Bohemi undiquaq; propter damnatum & insuper exultum in Constantiensi concilio doctorem ac Prophetam fenum, *M. Joannem Hussium* de Hussenitz, pago Bohemico, prope Rochizanense oppidum sito, (qui Germanis *ad anserem* dici possent) oriundum, venit ex improvise etiam anno Domini 1430. regulus quidam Bohemicus de Schwannberg, qui monasterium totum diripuit & spoliavit, magnamq; ejus partem inclementer vastavit: quæ calamitas Abbatem in summum mœrorem coniecit, ita ut post triennium ab hoc accepto malo, anno videlicet Domini 1433. ex hac ad aliam vitam emigraret, secunda Kalendarum Aprilium.

28. *Joannes Wendelinus Peifferus*, ex Weidena vel Saliceto superioris Palatinatus peramoeno oppido natus, eligitur in defuncti Abbatis Nicolai locum anno Domini 1433. quo statim cum iniquissima fors misere excepit. Cum enim vix Abbatiam ingressus esset, venit alius prædo, regulus quidam Bohemicus, *Jacobka* dictus: is omnia monasterii aurea argenteaq; vasa, &

in promtis præterea pecuniis mille & quadringentos aureos abstulit, ædificiis tamen parcens. Hac hostis exercita tyrannide, & sua accepta clade permotus novus Abbas, mox cum consensu monachorum, castrum forte ac robustum cum præclaris munitionibus ac profundis fossis prope & intra ferè muros cœnobii construere coepit, ut ingruente simili aliquando calamitate Abbas cum suis tutum aliquod ac firmum adversus hujusmodi vim receptaculum habere possët. Præfuit utilissime 28. annis, quibus primus infulam & alia pontificalia ornamenta cœnobio huic intulit. Fuit Sigismundo Imperatori charus, qui in publicis literis eum principem ac devotum suum appellat. Huic ipsi Abbati Fridericus Imperator anno Domini 1444. præposituram Hohensteinensem confirmavit emtam. Hæc in silva Bohemicanon procul à Pago Meringen (quem Wenceslaus Bohemiarum Rex cœnobitis Waldassensibus dedit) duobus pene milliaribus, ab oppido Pernaw sita & ab Hussitis vastata est. Obiit anno Domini 1461. Habuit germanos fratres tres, Wolfgangum Peifferum, medicinarum celebrem imprimis ac eximium Doctorem, Ingolstadianæ Academiæ professorem & Baviaræ Ducum archiatrum: Georgium Peifferum, cognomento hirsutum, peregrinatorem ad S. Jacobum: & Joannem Peifferum, civem Egranum, proavum meum, in quo adhuc puero, sed pingui ac obeso, cessavit nomen Peifferi. Nam is ab omnibus civibus *Bruschius* *Bruschelius* quasi obesulus dictus est, quod postea toti familiæ meæ quasi proprium & avitum cognomen inolevit & inolitum ad hæc usque tempora, ut *Bruschii* appellaremur, mansit.

29. *Nicolaus Peifferus*, Egranus, successit Joanni Wendelino. Is præfuit utilissime quoq; annis 18. Exemptus est rebus humanis anno Dominicæ incarnationis 1479. Reformavit monasterium S. Claræ cœnobium, quod est in civitate Egrana, & alterum Franciscanorum eidem contiguum, ex commissione summi Pontificis, Pii II. anno 1463.

30. *Udalricus Pirckberus*, Salicitanus, post Nicolaum electus, septem annis ad clavum sedit. Obiit anno 1486. in ambitu sepultus.

31. *Erhardus Jacobi* successit Udalrico. Præfuit 7. annis & aliquot mensibus ad annum usq; 1493. Habentur in cœnobio literæ Imperatoris Friderici ad hunc Erhardum scriptæ anno Domini 1492. de injuriis Caroli & Ludovici, Galliarum Regum, quibus Maximilianus affectus est, dum detenta & rapta est ipsi concredita jam nupta Domina Britanniarum; petitq; Imperator, ut Abbas auxiliaribus copiis instructus coram Cæsare in urbe Mediomatricum compareat. Literæ Lintzii datæ sunt.

32. *Erhardus Speet*, Egranus, tantum novem mensibus præfuit, & eodem, quo ad Ecclesiæ gubernationem anno venit, inter vivos esse desuit, veneno sublatu per pravam mulierem porrecto.

33. *Georgius*, cognomento *Angelus*, patria Egranus, successit Erhardo Speet, concorditer electus anno Gratiarum per Christum restitutæ 1493. Præfuit laudabiliter annis 19. Sub ejus gubernatione exarsit in Germaniis bellum civile Bavaricum, quod anno Domini 1504. Maximilianus Imperator pro Bavaricarum Ducibus adversus Palatinos, Philippum & Rupertum, patrem & filium gessit: ibi, cum Fridericus, Marchio Brandenburgensis, Cæsaris partes sequutus adversaretur Palatinis, raperentq; ad se & occuparent jam Dux Wirtembergensis & S. P. Q. Noribergensis circumquaq; vicinas sibi civitates Palatinorum, idq; jussu Maximiliani: ibi in Waldsassenfense etiam cœnobium, eo quod Palatinorum tuitionis esset, in quam sese commendarat año Christi 1411. sub Abbate Conrado II. à Marchionibus graviter & præter medietatem sævitum est. Pridie enim Nonarum Augusti, quæ dies Dominica erat, Alexander de Luchow, præfectus oppidi Wonsfeldensis, & alius quidam, Balthasar Pibritzius, collecta multitudinem ferè millium oppidanorum & comprovincialium, ante diluculum ad monasterium venientes, vi effractis foribus partimq; conscensis muris irruunt, omnia monasterii adyta & penetralia perstruant, omnes officinas expoliant, magnamq; frumentorum copiam cum utensilibus omnibus, vilissimis etiam, curribus (quorum plurimos secum advexerant) impositam auferunt ac avehi jubent. Non templo, non sacris vestibus, neq; libris parcunt.

Kk 3

Cum-

Bellum
Bavari-
cum.Alexan-
der de Lu-
chow.

Walds-
sum diri-
pitur &
igne va-
statur.

Palati-
natus in-
festatur.

Pugna
prope Eb-
mut.

Alchymia
noxia.

Cumq; illa, quæ se inventuros sperabant, in tutius receptaculum jam alio translata non invenissent, majoribus furis incitati, accensis omnibus tam intra quam extra monasterii septa fitis domesticis, ipsam etiam ecclesiam, cui turris astat admodum alta & tota plumbo tecta aspectuq; peramœna, injectis ignibus exurunt ac devastant universam. Villas præterea ac curtes vicinas simili avaritia direptas prius, tandem etiam exusserunt. Dum vero onusti præda domum redire volunt Marchionici triumphantesq; quasi re bene & feliciter gesta, non recta, sed per ambages Palatinatus alia quædam loca minitabundi peragrant, inciderunt in eos, Dei nimirum voce admoniti ac animati Palatinorum Principum populi, viri numero mille & centum. Inter hos & sine certo ordine redeuntes à præda Marchionicos juxta pagum Ebenod (hodie Ebnut vocant, medio itinere inter Kemmatum Palatinorum & Wonsidelium, Marchionis oppidum) prælium commissum est, in quo Marchionici cæsi & amisso vexillo, quod hodie adhuc Kemmati in templo pendet & ab ejus oppidi Consule, Domino Erhardo Frauenholt, mihi ostensum est, succubuerunt. Abbas Georgius statim cœnobium reædificare coepit & magnam ejus partem mediocriter rursus instauravit. Præfuit enim prudenter & utilissime. Ac etsi Alchymiarum artium mire esset studiosus, quibus plerunq; plus absumi quam colligi aut acquiri solet, tamen moriens successori suo 24. millia aureorum nummum cum insigni frumentorum copia reliquit. Obiit anno 1512.

34. *Andreas Metzelius*, Ostrofrancus, ex Heidingsfeldo natus, successit Georgio Abbati. Præfuit prudentissime ac utilissime annis 12. feliciter instaurans, absolvens & illustrans omnia, quæ ab antecessore erant inchoata: imprimis Bibliothecam, cui hoc distichon auctore *Georgio Læto* inscribi iussit:

Seu te sacra capit, seu te juvat ethnica charta,

Hæc tibi cum lucro Bibliotheca dabit.

Construxit & in ambitu amplissimo longe amœnissimum ornatumq; fontem faxeum trium alveorum & canalium 28. ducta aqua frigidissima & optima in cœnobium ex vicino altissimo

fimo monte, Glasbergo, canalibus plumbeis. Hujus fontis inferiori coronæ per circumferentiam hi tres versus incisi leguntur:

*Hoc opus Andreæ impensis stat pluribus Abba,
Qui gelidi liquidas fontis amavit aquas.
Ille quoque has reparat consumtas ignibus ædes.*

Anno Domini 1523.

Fecit idem consecrari templum à se restitutum & eleganter absolutum anno Domini 1517. ipso die Sanctorum quatuor Coronatorum, hoc est, 8. Novembrium, per Dominum Petrum, Hierapolensem Episcopum, Reverendissimi Principis ac Domini, Domini Joannis, Ratisbonensis Antistitis suffraganeum, summamque ejus aram sanctæ & individuae Trinitati & beatissimæ Dei genitrici Mariæ sanctoque Joanni Evangelistæ dedicari, juxta vericulos choro inscriptos, qui tales sunt:

*Annos quindecies centum tria lustra duosque
Virginis à partu fidei numerabat amator,
Luce Novembris in octava: dum sacra quaternis
Festa Coronatis agerentur, dedita Christo
Hæc sunt templa Deo à venerando antistite Petro
Krafft, sacra à suis nec non sunt altera sanctis.
Sic primam Mariæ Comitibus suo dedit aram.
Cætera stant tutelæ aliorum altaria Divum.*

Decessit ab hac mortalium hominum consuetudine anno Domini 1524.

35. *Nicolaus Seberius*, Thuringus, eligitur in locum defuncti Andreæ, opt. œconomus, qui præfuit tribus annis, & primo regiminis sui anno vidit summa animi perturbatione iterum diripi ac vastari suum cœnobium à seditiosis agricolis, cujus instaurationem mox tamen rursus aggressus est, quam cum videret esse curis & molestiis plenissimam, resignavit Abbatiam anno Domini 1527. Ipse Volckenrodum concessit, & cum ibi etiam multum nullus esset finis, Erfordiam profectus, ibi abjecta monastices professione senex uxorem duxit.

36. Va-

36. *Valentinus*, cognomento *Piscator*, patria Egranus, eligitur cum à resignante Nicolao, tum à Capitularibus. Præfuit annis tribus, & iterum exautoratur. Seder hoc adhuc currente Jubilæo Egræ in Brafiatorio, ut vocant, seu faxea domo Cisterciensi, mediocri pensione annua donatus.

37. *Georgius Schmuckberus* Valentino succedit anno Domini 1530. & 15. tantum mensibus præfuit, ocio ac voluptatibus totus deditus, obiitq; anno 1531.

38. *Georgius Agmannus*, Magister Lipsiensis, eligitur an. 1531. Is præfuit annis sex, plurimis ædificiis cœnobium illustrans ac totum templum nigro lapide tectorio superinducens, & egregium organum construens. Tandem anno Domini 1537. iussu Palatinorum Principum (eo quod contemta Palatinorum hereditaria prius facta tuitione D. Joannem Pflug, regni Bohemici Cancellarium, tutorem sibi elegisset) captus Ambergam ducitur, ibiq; in turrim, quam *Fuchsensteiner* vocant (eo quod doctor quidam Juris & Palatinorum consiliarius ejus nominis superioribus annis eam etiam imbuerit) conjectus à vigilia Paschæ ad diem usque S. Catharinæ ibi detinetur, quo dimissus ad Wallerbachium, Cisterciensis instituti aliud in Palatinatu situm cœnobium, venit, ubi magno applausu & honore Abbas designatus, cum aliquandiu feliciter præfuisset, tandem anno 1547. peste ibi absumptus ac terræ primæ mortalium parenti restitutus est.

39. *Joannes à Weze*, ex Ducatu Clivenfi natus, vere heroica corporis proceritate præditus, Archiepiscopus Lundensis in regno Daniæ & Episcopus Constantiensis in Germaniis, vir eloquens multarumq; linguarum cognitione illustris, & idcirco Divi Imperatoris Caroli V. orator ac inter Consiliarios præcipuus unus, consequitur Abbatiam Waldsassensem, pro obitis plurimis ad exteras gentes Cæsareæ Majestatis nomine legationibus, mercedem quasi ac remunerationem anno Domini 1537. Præfuit annis 11. ac ita utiliter, ut etiam multum profuerit, raro quidem in cœnobio, sed semper ferè in Constantiensi Episcopatu, cui divitis Augiæ præpotens monasterium ipse primus etiam incorporavit. Cœpit Thurfsenreutti è fundamentis construere
novam

Amber-
gensis tur-
ris.

Waller-
bach.

novam arcem veteri contiguam, quam morte præventus non ab-
solvit tamen. Obiit apoplexia in Comitibus Augustanis an. 1548.
decima quarta Junii, ætatis suæ anno 59. Vehitur ex Augusta Vin-
delicorum honorifica pompa funebri ad Augiæ divitis in Acro-
nio lacu sitæ cœnobium amplissimum, ubi cum digno virtutum
suarum elogio terræ omnium mortalium parenti redditus est.

40. *Henricus Rudolphus à Weze*, & ipse Sicamber, ex Ducatu *Abbas*
Clivienti natus, Archiepiscopi Joannis è sore nepos, utriusq; *ICtus,*
Juris Doctor, & quod paucis Jurisconsultis contingit, latine cum *seu Mu-*
puritate & elegantia doctus, musicus supra mediocritatem exi-
mius, qui & expedite & suaviter canit, corporis vero procera sta-
tura avunculo non inferior, postulatur in coadjutorem à cœnobi-
tis anno 1545. tandem avunculo rebus humanis exento, consti-
tuitur etiam administrator VValdsassensis cœnobii anno gratiæ
per Christum revocata 1548. Reædificavit anno Domini 1549.
pistrinum & braxatoriam, ut vulgo appellant, domum, in qua
cerevisia coqui solet, molendina item, quibus frumenta frangi
& ligna in aseres discindi solent, quæ omnia eodem anno incen-
dio perierant. Construit nunc novam Cancellariam, conti-
guam castro cœnobii. Lacum vero Thurfsenreuttanum navigiis
primus instruxit, quibus animi interdum causa operam dare so-
let. Præsidet illic hoc adhuc currente Jubilæo, ubi memor pri-
mæ monasteriorum omnium originis, colligendæ scholæ in
usum totius circumjacentis provinciæ imprimis est studiosus,
habita sic honesta primum juventutis ratione, vicinis omni-
bus beneficus, omnibusque merito charus est. Faxit miseri-
cors & æternus Deus, ut vivat felix, præsitque pari felicitate
commissæ sibi terræ Natiscorum parti haud mediocri quam diu-
tissime!

*At tu doce vir, & Mæcenæ maxime Musis,
Quas dedit ætherea Phœbus ab arce mihi.
Parce, quod exorsus tantum carbonibus atris
Non vi vo laudes pingo colore tuas.
Sunt afflicta hodie, sunt tempora nubila nobis,
Conveniens illis sit color ergo meus.*

LI

MOX

*Apostro-
phe.*

*Chronologia
Misterio
S. M*

*Mox anni venient felices, ibit & aurum
In priscum hæc ætas vindice læta Deo.
Omnia tunc etiam nobis feliciter ibunt,
Pulchrius & quàm nunc forsitan ire solent:
Tunc etiam incedes tu, non carbone notatus,
Ut nunc, sed nivo in marmore sculptus eris.
Pauperis interea fortune conditionem,
Ut facis, hanc humilem consule quæso boni.*

*Wolffg.
à Schirnting.*

Sub ejus gubernatione humatus est in ejus loci templo strenuus ac nobilis heros, D. Wolfgangus à Schirnting, regulorum & equestris ordinis hominum non postremus in Prætoriana terra, qui apud Schlabathenhofium in arce ad Reslavum amnem sita habitavit & ex hac mortali vita decessit hoc anno 1550. cui charissimo parenti optimo filius, Dominus Fridericus Pfittacus de Schirnting, me authore & instigatore tale posuit gratitudinis ac sempiternæ memoriæ ergò monumentum:

*Wolfgangum à Schirnting Fridericus Pfittacus isto
Deposuit patrem stensq; dolensq; loco,
In thalamum sponsam cum vix duxisset & inter
Gaudia misceret se gravis iste dolor.
Christus ab æthereo spectans mortalia templo
Transferat in cœli regna beata senem.*

Est vero & aliud ibi de ejusdem defuncti conjuge additum distichon elegiacum me authore natum, quod tale est:

*Ursula de Kotzaw, Wolfgangi nobilis uxor,
Sub saxi ejusdem formice læta cubat.*

*S. Me-
ginradus.*

HEREMITARUM in Helvetiis pervetustum olim Idolion, nunc cœnobium ordinis Divi Benedicti celeberrimum & opulentissimum, Germanica lingua zum Einsidlen dictum, in quod antiquitus Principes tantum, Comites ac Barones summo loco nati accipi solebant, non procul à Tiguro in Sili fluvii vicinia situm, anno Christi 860. cœpit, temporibus Ludovici II. Rom. Imp. ædificante sibi illic sacellum & cellulam S. Meginrado, Bertholdi, illustris Comitum à Sulgow ad Danubium habitantis